

DISPUTATIO PRIMA.

De Scientia Divina.

S PINOSISSIMA est ac tenebrosissima hæc disputatio: neque confido ab his spinis & tenebris liberari, nisi dederit id Deus, qui *scientiarum est Dominus*. Hoc scio plerosque, & asperius pungi, & loqui tenebrosius in re ista; quia vel non satis, vel nimis scrutantur imperferutabilem hæc abyssum; quare dummodo caveatur, ne quid non satis & ne quid nimis, forsan tutus erit incessus à spinis & lux lucebit in tenebris. In hunc finem divisio præsentis disputationis fiet in articulos octo. Disquiretur in *primo*, quæ & qualis sit in Deo Scientia possibilem; in *secundo*, quæ sit origo & certitudo istius Scientiæ: in *tertio*, quæ & qualis sit in Deo Scientia futurorum absolutorum; in *quarto*, unde hæc Scientia suam eruat originem & certitudinem; in *quinto*, quæ & qualis sit in Deo Scientia futurorum conditionatorum; & in *sexto*, quid illud sit, in quo certitudinem suam habeat stabilitatem. Tum in *septimo* agetur de reliquis Controversiis theologicis, quæ versantur circa istam Scientiam conditionatorum, seu *mediam*; ac tandem in *octavo* stabilietur quid sentiendum sit de ideis, seu formis exemplaribus, quæ in Deo cum ipsius scientia connectuntur.

ARTICULUS PRIMUS.

Quæ & qualis sit in Deo Scientia possibilem?

Theologi
satis indif-
criminatim
hic acci-
piunt scien-
tiam &
Scientiam.

NOTANDUM *primò* nihil esse, quod vel frequentius reperant, vel altius inclament Sacræ Scripturæ, quàm supereminentem Dei scientiam, id est, sapientiam; nam scientiæ fastigium sapientia est, occupata in contemplandis rebus, non per quaslibet & obvias causas; sed per altissimas. Hinc *sapientiam* & *scientiam* solent indiscriminatim accipere in Deo Theologi; quatenus in scientia Divina nihil est non summum ac summe dignum titulo sapientiæ, de qua scriptum est Sap. 8. 1. *Attingit à fine usque ad*